HVGEIANI GROTII

BATAVI

PONTIFEX ROMANVS,
REX GALLIARVM,
REX HISPANIARVM,
ALBERTVS CARDINALIS,
REGINA ANGLIÆ,
ORDINES FEDERATI.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Hec carmina int rara, non su[...]
apud alia sua impressa opera
Lib

Illuſtriſs. ac Potentiſs.

DD. ORDINIBVS

BELGII FEDERATIS.

MAGNANIMI Proceres, quîs commutata Tyranno
Imperia, & faciles Numen conceſſit habenas,
Non ego veſtra velim longo ſermone morari
Debita quæ patriis ſeruantur tempora curis;
Sed ſi fortè iuuet paucis (neque non iuuat) horis
Sollicitos recreare animos, & ſeria gratâ
Alternare vice, has ſenas vos cernere chartas
Exoptem, tantis vt non inuiſa triumphet
Noſtra Camæna viris, & pulſet vertice cælum.
Rex etiam Macedûm patrẽ indignata Philippũ
Progenies, tumidi Perſæ quâ contudit arma,
Non veritus dextrâ eſt libros euoluere Homeri;
Et cum Lartiade generoſum diſcere Achillem,

Illum conſiliis pollentem, hunc fortibus armis,
In ſe Lartiaden, in ſe miratus Achillem.
Vos quoq. ne veſtræ ſtudioſa imitamina curæ
Deſpicite: ante alios patriæ duo fulgida terræ
Lumina, Naſſaui, qui nos abſente carere
Non pateris, viuaque refers ſub imagine patrem,
Cærula Mattiaci cui parent æquora ponti;
Et Barneveldi, cuius prudentia nota
Exuperat vocem humanam, & faſtigia laudum;
Legati ſummis miſſi de rebus vterque,
Aſpirate mihi, cœptisque aduertite mentem.
Pontificē ſtrepero metuendū fulmine linguæ,
Atque ſuæ Regem curantem commoda gentis,
Binosq. Auſtriadas generū, ſocerumq. Tyrannū;
Hunc nil ructantem niſi ſeſquipedalia verba,
Aſt illum vano lactantem figmine mentem;
Hinc Nympham fido ſociatam fœdere Belgis,
Si lubet, atq. ipſos vos demum audite loquentes,
Magnanimi Proceres, queîs commutata Tyranno
Imperia, & faciles Numen conceſſit habenas.

HVGEIANI GROTII

PONTIFEX ROMANVS.

ILLE *ego, quem terris Numē fatale regundis*
Iamdudum certus fatorum deſtinat ordo,
Quem Regeſq́;, Duceſq́;, & terrarum omnis adoret
Machina, quem metuat naſcentis conſcia lucis
Gens, & quæ primas occaſo ſole tenebras
Aſpicit: ille ego ſum triplici cui cingitur auro
Pontificale caput, cui ſacra, profanáque curæ;
Frangere compoſitam, fractam componere pacem
Præſens, & ſolo nutu acria bella mouere;
Deteſtata nigrum demittere corpora ad orcum,
Iamq́; pias animas cœleſti ſede beare,
Iamq́; malas pœnis dãnare, & Tartara ad ima
Pluſquam Siſyphio cruciandas mittere ſaxo.
Pontifices alij congeſti ſumtibus auri
Magnificas ſtruxêre domos, atque æmula cœlo
Templa, ſacras Diuis aras, altaria Chriſto;

Aut tymbo multos qui viuere poſsit in annos,
Poſt mortem voluère tegi, dum ſpiritus inter
Indigetes Diuos, magni penetralia cæli
Incoleret, miſeroſq́; homines è ſedibus altis
Deſpiceret miſeram palantes quærere vitam.
Nil intentatum Papæ liquêre priores,
Vt meliore ſui poſt funera viuere parte
Poſsint, & fama ferri ſuper æthera bigis.
An mihi per magnos fuerit clarere penates,
Saxaq́; per, ligniq́; ſtruem, Pariáſque columnas,
Scilicet exhauſtos tot nocte diéque labores
Perdat vt vna dies, ſi vis inimica furentis
Mulciberi ſæuas agitet ſub tecta fauillas?
Æternum molimur opus, maiúſque caducis
Pyramidum formis, duróque perennius ære;
Quod non imber edax, nō tempus edacius imbre,
Non venti turbo, trifidíque potentia teli,
Non Fors Fortuna, aut cæci vis inuida fati
Sacrabit Libitina tibi, ſed poſthuma ſemper
Serpet fama mihi, magnum victura per æuum.
Gens nulla ignorat, nec erit quæ neſciat ætas,
Vt pauefacta armis ſubitò Ferraria noſtris
Ceſſerit, abiurata Ducémque, auſuſq́; rebelles.

I nunc,

I nunc, atque animos nequicquam tolle feroces,
Haud iuſto natum thalamo genus, atq. ſuperbas
Ede minas, patruiq́; eſto ſucceſſor, & hæres. (eſt,
Sed quid ego hæc? longè maior mihi gloria parta
Tempore iam ex illo, duce me Borbonius Heros
Quo didicit renouare fidē, atq. agnoſcere rurſum
ROMANOS RERVM DOMINOS, GENTEMQVE
TOGATAM,
O quantum accreuit tunc nominis alite noſtro
Relligio Romana *tibi, cùm læta videres*
Eximium regem, qui Gallica ſceptra gubernat,
Quíque adeò primus multos nunc antè per annos
Chriſtiadum ſancti defenſor nominis audit,
Ante tuos flexo prouolui poplite Diuos,
Tendentem geminas palmas, & credere quicquid
Credendum patres nobis ſanxêre priores.
Nec dum hæc ſuffeciſſe ratus, maiora putaui
Ad laudes reſtare meas, quo noſtra per omnes
Gloria perpetuum latè clareſceret oras.
Ergo Europæi duo maxima ſidera mundi
Gallum, atque Heſperiis latè qui præſidet aruis,
In pacē, FELIX QVOD SIT FAVSTVMQVE, *coëgi,*
Funditus euerſis optato fœdere bellis,

Quæ

Quæ quantũ dederint, quantumq́; datura fuiſſet
Sanguinis, haud centũ fuerit mihi dicere linguis.
Ah quotiens cæſum plorauit Gallica natum
Mater, & ah miſeros quoties quæſiuit alumnos
Nequicquã, auriferas dum voluit Iberus arenas.
Sed ſemel hiſce malis (& cui ſpes tanta fuiſſet?)
Iam noſtra impoſuit felix ſolertia finem:
Martem hæc ſanguineâ iuſſit migrare quadrigâ,
Cui Pallórq. Horrórq. comes, cædéſque nefandæ,
Et ſemper furibundo inſtans Bellona flagello:
At bona Pax in regnum, & mœnia cuncta recepta eſt,
Pax viridem geſtans ramũ frondentis oliuæ.
Sic ferus in curuum gladius cudetur aratrum,
Quíq. fuit ſcutum, vel parma rotunda, colonus
Gallicus hoc patrias ſulcabit vomere terras.
Ordo ſacer patrum, cui ſancto à cardine nomen
Impoſuit retroacti aui veneranda vetuſtas,
Plaudite, Io pæan, & Io cantate Triumphe,
Me patriæ vocitate patrem, me dicite numen
Terrigenûm, ſoloq́; Deo celebrate minorem,
Si noſtro auſpicio, & noſtro Ferraria ductu
Subdita Romano eſt ſolio, ſi munere noſtro

Pace

Pace piâ fruitur poſitis Rex Gallicus armis.
Quòd ſi vita mihi plures durabit in annos,
Et ſupereſt aliquid Lacheſi, geminæq; ſorori,
Quod queat in noſtro torquendum currere fuſo,
Nec quem regnandi teneat tam dira cupido,
Feſtinet caput hoc vt per lethale venenum
Addere præproperum decus expectantibus aſtris,
Jam video cunctos, quoſcunque à tramite vero,
Aut praui peruerſus amor, aut deuius error
Abduxit, ſubitò nolentes, ſiue volentes
Ad veram remeare viam, ſeu dira minantis
Fulmine linguai, ſeu diri fulmine belli.
Jam video, vt duce me quoſcunque amiſerit antè
Vel vi, vel diri ſceleratâ fraude Tyranni,
Nacta locos iterum, & ſemper maioribus aucta
Diuitiis, animos Romana potentia ſumat,
Excelſum feriens ſublimi vertice cælum.
Hæc etiam vobis ſedeat ſententia firmis
Fixa animis, vbi me mortali hoc corpore Numen
Soluerit, æthereáque beatum in ſede locârit,
Vnũ & idem cunctis ſtudiũ, mens omnibus vna
Sit ſtabilire fidem, & trinæ aurea iura coronæ.

Hoc agite, vt miſerâ LACRVMARVM *hâc* VALLE *relictâ*
Inclita vos virtus promiſsis inſerat aſtris:
Sin minus, & noſtri ſecuros viuere iuſſi
Fert animus, non vos exſpectat regia cæli,
Sed pœna æterna, & Tartarini vlulatus,
Atq; inuita manet vita, & mors neſcia mortis.

HVGEIANI GROTII
REX GALLIARVM.

REGIBVS *imperium cælo deſcendit ab alto,*
Ne deſint, homines inter, queis plena poteſtas
Sit punire malos, & reddere præmia iuſtis,
Ac populum æquali ſub libertate tueri:
Rex non eſt, niſi qui populo prodeſſe laborat,
Se ratus illius dominum, ſed & eſſe miniſtrum:
Hoc qui agit, & tantum ſubiectæ cōmoda gentis
Curat, hic vt veterū perhibent oracula vatum
In terris meruit dici Deus, atque reapſe

Juſtam

Iuſtam Regalis menſuram nominis implet.
Certè ego non vlli pretio, impenſáue peperci,
Reíq́ adeò nulli, poteram quam dicere charam,
Non metui hoc corpus certo obiectare periclo,
Et tam ſæpe ſtetiſſe, inter tot tela, tot hoſtes
Agminis in medio, & cũ tot perduellibus acrem
Conſeruiſſe manũ, populo vt prodeſſe valerem.
Te cælum appello, & vos cæli ſidera teſtes,
Et vos frugiferas inter labentia terras
Flumina, quæ toties ex quo Valeſius heros
(Proh ſcelus infandum!) vitam, lucémque reliquit,
Et noſtram ſacro cinxit diademate frontem,
Vltoremq́ dedit, feci exundare cruore
Heſperio, atque Hiſpana offerre cadauera ripis
Egregio Regi Inferias, teq́ infime quondam
Fluuiorum, ſeu nunc noſtris virtutibus aucte
Grandior incedis, ſeu ſanguine cretus Ibero
Euriace atteſtor, me nulla pericula tanti
Feciſſe vt gladios, aut hoſtica tela timerem,
Neu prior aggrederer minitantẽ cominus hoſtem;
Nec patriæ violâſſe fidem: tu Gallia cauſa es
Vnica tantorum nobis, & digna, laborum,

Gallia iam lento nimium colliſa duello:
Ipſe tibi hanc animam primis vix vtilis annis
Deuoui, ſed nec generoſâ ex indole nati
Succeſſu caruere animi: quis noſtra tropæa,
Et toties partos deuicto ex hoſte triumfos,
Quis tandē arte malâ, mea nupera laurea, captā
Te neſcit, bello nunc Samarobriua receptam?
Nannetaſq́;, alióſque haud vllo ſanguine fuſo
Britonas Hiſpanis ad nos veniſſe relictis?
Nunc poſt tot caſus, & tot diſcrimina rerum,
Fata ſub octauum conuerſa ad proſpera luſtrum
Dant fructus iuſtè ſuſcepti carpere belli,
Proiectiſque manu tutò requieſcere telis.
Nanque exoptato confectis federe bellis
Pace bonâ fruimur, Romani munere Patris,
Cui ſemper grates hilari de pectore promam,
Legatoq́; ſacro, dum carpens ætheris auram
Luminibus viuis lumen vitale videbo.
Hactenus euerſas vrbes, & ſtrata viarum
Aſpicias ſquallere ſitu, raroſq́; colonos
Tellurem patriam curuo proſcindere aratro,
Rara armenta boum lætos errare per agros,
Raram etiam virides pecudē depaſcere campos,

Incultas

Incultas vites horrere, & dulcia paſsim
Calcari non quo debent pede munera Bacchi,
Nec crebras merces diſcurrere, at vndique diro
Obſeſſum latrone itiner, fataſq́; coactis
Militibus ſiluas, bellum vndique, & vndique
luctus. [*ſtat:*
Nunc mutat fortuna vices: Nunc Iuppiter hac
Non aliter, quàm cùm rutili poſt fulminis ignes,
Et cæli crepitus, tenebroſaq́; lumina Solis,
Atque erumpentes reſolutis nubibus imbres,
Perpeſſaſq́; hyemes, atque auſtros tempore longo,
Vna dies ſubitò niueo ſignanda lapillo
Prodit, & auricomus radiat POST NVBILA
PHOEBVS;
Sic nunc lætus agros, & prædia tuta reuiſit
Ruſticus, atq. oneri properat ſubmittere tauros;
Quin etiam teneri redeunt ad prata iuuenci,
Lanigeriq́; greges, & amantes ſaxa capellæ,
Et colit aſsiduus potandas vinitor vuas,
Perq́; vias cantat grauidâ cum merce viator;
Nec timet armatas antiqua pericula dextras,
Prædonumq́; genus; redit & ſua cuilibet vrbi
Gloria, & antiquũ reparat ſibi Gallia honorem.

At tamen intereà telluris rector Ibera
Quæ tu cunque meis rapuiſti debita ſceptris,
Siue dolo tecto, ſiue armorum ſolidâ vi,
Reſtituas; ſed nec noſtram turbare quietem
Seditione pares emptâ; quin noſcere regem
Jam primùm incipies hoſtem, & tua regna viciſſim
Inceſſentem armis, & Iberis bella mouentem,
Bella nouè antiqueq́ datam reparantia cladem.

Hvgeiani Grotii
REX HISPANIARVM.

ERGO *erat in fatis, poſt tot diſcrimina rerum,*
Totq́ exantlatos etiam hac ætate labores,
Spe ſimul, impenſiſq́ meis fruſtratus abirem?
Nec ſaltem Europæ placitas præſcribere leges
(O Fati inuidiam!) potero, hic ius dantibus ipſe
Ius dare? Pontifices quod promiſère priores:
Me fore, quem niueos inter regnare Britannos
Ferrea trinarum ſtatuant decreta ſororum;

Me fore, iamdudū quem Regem agnoſcere felix
Celtica maturet; cui ſcuto, armiſq́; relictis
Approperent Belgæ genibus ſuccumbere flexis,
Suppliciter noxam faſsi, vitamq́; precati;
Me fore, quem radiis iuga ſubdita matutinis
Expectent dominum; me, cuius ſceptra manerent
Qua lux intrat aquas, & aquis nox exit ab iſdē.
Serò igitur ſapio, quòd ſpe lactatus inani
Augurio nitar fragili, ominibuſq́; caducis.
Quo noſtri Romane Pater tibi cura receſsit,
Et fauor haud iſtos meritò promiſſus in annos?
An tibi Lethæis hæc merſa feruntur in vndis?
Nunc vbi pacta fides, iurati vbi fœderis ictus?
Irritáne Æoliis pluſquam periure dediſti
In mare ferre Notis, & ſum tibi vilior algâ,
Quem cœlo nuper (meminiſti) æquare ſolebas?
Quid noſtris regnata igitur maioribus olim
Torrida Caſtellæ me prodeſt arua tueri?
Quid iuuat imperio dociles vix cedere cuiquam
Cantabros parere meo? quid profuit aſtu,
Aut natum regno, aut vita ſpoliaſſe parentem,
Vt proprium noſſet me Portugallia Regem?
Quídve tuam ſceptro laſciua Neapolis vrbem,

Aut

Aut aliam, mediæ quæ iactat nomina lanæ,
Quæque Giganteis iniecta eſt inſula membris,
Regnauiſſe meo? cui nunc poſt cætera ſini
Imperium extremos productũ nuper ad Indos?
Quorſum tot mactati homines, tot millia cæſi?
Si bis vicenos mihi ſollicitata per annos
Gallia, quamq́; aliis poteram præponere regnis
Omnibus, erepta eſt, nec vel ſpes ſola relicta,
Vt fiat quandoque meis obnoxia ſceptris.
Ergo tot gazas fruſtrà conſumſimus, & tot
Egregiè geſtis nequicquam impendimus annos,
Vt propius partum Nauarræ amittere regnum
Sit mihi, quàm noſtras Gallis imponere leges?
Scilicet illud erat, Romanæ ſedis alumnum
Efficere, & patrio ſibi iũgere amore BEARNVM?
Scilicet illud erat, quòd mittere ſæpè ſolebas
Legatos vltrò, atque citrò reſponſa ferentes,
Vt nobis ſacram poßis hanc cudere pacem?
Hoc merui, dum tot præclara, atque inclita bella
Romanæ geßi pro relligionis amore;
Atque adeò haud vllis opibus, ſenióve peperci,
Vt rem Romanam quauis ratione iuuarem,
Cùm mihi nil præter montes promiſeris aureos?

Certè

Certè equidem iuſtas mens exardeſcit in iras,
Gratia promeritis quòd tam non iuſta refertur.
Inſidum ô Itali ſemper genus! improba Roma,
Roma ſiniſter amoR, nunquam haut crudelibus actis
Nutricem teſtata lupam, iam tempore ab illo,
Quo maduere tui fraterno ſanguine muri!
REX EGO, SPEQVE METVQVE *procul: cui turpe putandum*
Deſpondere animos; priùs ô prius omnia fient,
Quæ fieri certâ naturæ lege vetantur,
Cunctaq́ue, quæ iam ſunt variis diſtincta figuris,
In priſcum reditura chaos; prius vnus, & idem.
In cælo locus & Zephyros efflabit, & Euros;
Parſq́ue eadem terræ radiis florebit Eois,
Et ſubmerſuro torrebitur vltima Phœbo;
Antè vel ignis aquas, vel flammas vnda datura eſt,
Antè aquila ad terras aſſueſcet, ad aëra ceruus,
Quàm non hæc animo ſedeat ſententia noſtro:
Tentandũ quocumq. modo ſolũ, atq. ſupremum
Imperium. Quis fáſne, nefáſne in rege requirat?
Non me diuortat proclamans fœdera Pacis

 E Capi-

E Capitolinâ Romanus Iuppiter arce,
Non pietas, non ipſa fides, non cura ſalutis,
Omnia quin mouea͂,atq. omni connitar opum vi,
Quo ſceptrum hoc aliquando in terra, atque æquoris alti
Finibus inueniat finem, ſi finis habendus.
Ergo agedum ô fili, noſtræ ſpes certa ſenectæ,
Quemq; adeò multu͂ eſt, vel ſic, genuiſſe parenti,
Hæredem te ſceptra manent: fac, totus vt orbis
Heſperiis longum ducat ſub legibus æuum.
Tuq; meæ vires, ſolij ſpes altera noſtri,
ALBERTE, *hic tenues vbi erit dilapſus in auras*
Spiritus, & Regis niſi nomen inane Philippi
Nil erit, affer opem, præuiſaq; conſule nato,
Conſtantiq; fide veterem defendere amicum
Matura. quid enim? ſi te pia iura morentur
Sanguinis, en clarâ co͂ſanguinitate propinquum,
Quem tecu͂ Auſtriacâ pariter ſcis ge͂te creatum,
Et proauum iactare vnum, proauoq; priores.
Quid refera͂, quæ mater eum, quo ſanguine creta;
Luminis in dias nobis produxerit oras?
Quòd ſi iura thori præfers, tædaſq; iugales,
En cuius dilecta ſoror tibi ducitur vxor,

Si qua fata ſinunt, & eorum Juppiter auctor.
Affinis, ſobrinus ei, vel avunculus eſto,
Vt libet: auxilium fraternum ferre memento,
Accenſumq; animum ſtimulare cupidine laudis,
Vt mea completo ſententia fine triumphet,
Nota tibi, natoq; meo, noſtraq; puellæ.
Hæc imis retinere animis, huc omnibus auſis
Poſt noſtram trinos iubeo contendere mortem:
Vt lætus, ſi Parca nigram denuntiet horam,
Exhalem emeritam hanc animam, functamq; periclis.

HVGEIANI GROTII
ALBERTVS CARDINALIS,
PRO SE, PRO PHILIPPO FILIO, ET ISABELLA SPERATA.

NOTVM *equidem, notum, memoriq; in mente locatum*
Conſilium, tua mens, mea mens, Rex inclite Regum,
Seu mavis audire ſocer: dum ſpiritus artus

Hos reget, & dabitur lumen vitale videre,
Hæc imis infixa animis, & corde repoſta
Aßiduo recolam, haud aliter, quàm ferre labores
Natus, & agreſtes ferro proſcindere ſulcos
Taurus Iber paſtas animoſus ruminat herbas.
Hic quoque, quem magno cæli ſuccedere leges
Imperio ſtatuunt, in quo poſt fata reuiues
Nomine, reqꝫ patrem nato referente Philippum,
Et tua noſter amor, nunc noſtro debita lecto
Filia, auos numerans Gallos, & debita ſceptra,
Hoc ſemper ſummis animi conatibus vrgent,
Quod te nūc coquit, & verſat ſub pectore fixum,
Et quo diſtraheris meritò nocteſqꝫ, diéſque,
Molis opus magnæ, & cunctis memorabile ſæclis,
Si ſemel optatum poterit contingere finem:
Et poterit, ſi TRES *coniunctis viribus* VNA
Tendamus, Facient artes, & aperta viam vis.
Tuqꝫ adeò magni digniſsima patris imago
Incipe dum, & populos terraqꝫ mariqꝫ laceſſe
Turbine præpropero belli, concuſſa tremiſcant
Cuncta acreis à te vires, & totius orbis
Lux alia Heſperiis iam nunc fulgeſcat ab oris:
Non deero, & fidis, potero quacunque, iuuabo

Conſiliis,

Conſiliis, ſociaq́ manu, & conſtantibus armis.
Jam video totum Latium, Saturnia regna,
Sub noſtrum ventare iugum, fortemq́ Quirites
Progeniem Hiſpanis victos ſe ſubdere ſceptris,
Heſperiarũ vtriuſq. vt temperet unus habenas:
Jam dominos faſces, victriciaq́ arma ſecuta
Ponere belligeros diſcet Germania faſtus:
Sub tua iura fluent Danici vada cærula Ponti;
Cedet & alterius Schotorum edocta periclis
Terra, Caledoniis vt regnet Iberus in agris:
Nec poterunt aliter, poſſunt qui multa, Suëui,
Et Harteſiacum cupient agnoſcere Regem.
Intereà vna mihi penitis infixa medullis
Cura mouet magnũ, non fruſtrà nata, dolorem,
Quòd non hæc Genij, Rex prudentiſſime, veſtri
Auſpiciis potuêre geri, qui maximus artes
Imperij, & belli multa inter millia Regum es,
Quotquot erunt, quotquot ſunt, quotquot & antè fuerunt:
Et tu nos talis medio hîc in turbine rerum
Deſeris inuidiâ miſeræ (res dira) ſenectæ?
Cùm propè iam cunctos Regeſq́, Duceſq́ videre
Sit coniuratos in tanti erumpere regni

Exitium, & magni non tantùm auertere vires
Propoſiti, verùm hos etiam quos bellica nobis
Aſcripſit Fortuna locos, quas vicimus vrbes,
Eripere, & valido potius decernere bello,
Quã: ſed enim meritas dabit iſta audacia pœnas.
Fata viam inuenient: prima & tu Gallia cunctis
Exemplum dabis, & qualis ſit noſtra docebis
Virtus, Heſperiis pedibus cùm preſſa iacebis:
Proderit huc pax ipſa, vtemur Pace miniſtrâ
In bellum cauti, populóſque quiete ſepultos,
Lætáque depoſitis ducentes otia telis,
Sperantes nîl tale iugo ſubigemus Ibero.
Illa quoque, in magno quæ nobis omnia turbat
Oceano, credens ſoli ſibi debita ponti
Imperia, en facilem dat conditionibus aurem,
Atque in perpetuæ conſentit federa Pacis,
Federa, quæ ſeri cupient infecta nepotes.
Ite rebellantes Belgæ, ite, & diſcite quid ſit
Aut Anglo, aut ſocio tantum confidere Gallo,
Effugere vt proprij ſic poſſe impunè putetis
Seruitium Domini: veniet iam dextera vindex
Auctores flammis, & ferro vltura rebelles.

HVGE-

HVGEIANI GROTII
REGINA ANGLIÆ.

ME pietas mea, iã multos ſpectata per annos,
Atq. cuiq. ſuũ tribuẽdi immota voluntas,
Propoſitíque tenax vſu conſtantia longo
Effecit geſtare animos in corde viriles
Fœmineo, & fragili magnũ generi addere honorẽ.
Non vnquam noſtras rectè quæ ſtare ſuëta
Mentes dementi ſecum flexêre viaï
Impia gens hominum, aut ſocium ſibi fedus inire
Fecêre, aut vacuam dare deluſoribus aurem.
Nunc quoq. nîl moueor, quòd ramum vtriſque Mineruæ
Præferat Hiſpanus manibus; nam prætulit illum
Tunc quoque cùm ponto pontem, nobiſq; pararet
Exitiũ, decimus poſt quæ nunc voluitur annus:
Cærula tunc latè ratibus ſtrata æquora circum
Cernere erat; belloq;, atque acri feruere pugnâ
Oceanum, mixtoſq; ſonos, ferriq;, ſalique
Audire, & geminũ ſpectare ab vtroq. periclum.
Sed tandem noſtrum nobis victoria Martem
Annuit, Heſperioq; vndarunt ſanguine fluctus.

Pars

Pars patrias Gades Anglis petière relictis,
Pars ferro cecidit, pars vaſto in gurgite merſa eſt,
Atque necaturas potauit gutture lymphas.
Nunc etiam ſimiles fraudes, ſimileſq; volutat
Corde dolos: metuo Heſperios & blāda precātes.
Non aliter ſuaues depromit fiſtula cantus
Seruitiū volucri, & caueā dum præparat auceps;
Non aliter ſaxo ſenior piſcator ab alto
Inſubidis tremulâ meditatur arundine thynnis
Inſidias, atque æra latent occulta ſub eſcis.
Nouimus Hiſpanorum artes; obtingere metam
Optatam tantùm ſperent, rerúmque potiri,
Nîl ſcelera expauère, nihil periuria curant.
At tu qui tumidam ſeptenis collibus vrbem
Imperio premis, an nos nullius eſſe cerebri,
Obtuſáſque adeò mentes geſtare Britannos,
Aut ſolis cor eſſe viris inſulſe putaſti,
Quòd me (ſed nolit magni regnator Olympi)
Auderes veſtris facilem promittere votis?
Vnâ eâdem ſperare operâ poteratis Eliſam
Culturā obnixè veſtrûm ſimulachra Deorum
Lignea, & ante pedes ſacrati (ô ſæcula!) ſaxi
Flexuram Regale genu, facilémque daturam

Quod libitum vobis mihi perſuadētibus aurem:
Seu trinas reſtare vias, poſt funeris horam;
Scilicet ætherij gemmantia lumina cæli,
Et ſceleri in pœnas promiſſa Acheruſia templa,
Et medios creperi purgantes criminis ignes;
Seu mortale genus propriis virtutibus auctum
Supremos penetrare polos; huc ducere Miſſas,
Quæque peregrinâ dicuntur murmura linguâ,
Muſſatáſque preces, & crimina mercē redemta:
Vnâ eâdem poteras operâ coniungere vulpes,
Et bibulum curuo proſcindere litus aratro.
Vna mihi penitæ inſedit ſententia menti,
Et ſeruare fidem ſacro mihi fœdere iunctus,
Et verâ populum ſub Relligione tueri.
Macte agedū Belgæ, bellis gens nata gerundis,
Et mecum patriis defendite finibus hoſtem;
Pergite funeſtum ferro graſſante Tyrannum
Proſequi, & inuiſum proſcindere nomen Iberi.
Sanguinis Auriaci vindictam ſtrage ſuorum
Sentiat Heſperiæ rector, latéque repenſa
Funera funeribus, quæ veſtra in limine belli
Aſpexit terra, atque ſuum bibit ipſa cruorem.
Macte agedū, & dignos nos libertate putemus.

HVGEIANI GROTII
ORDINES FEDERATI.

O SOCII, *quæ ſit rebus fortuna videtis,*
Nempe hoſtem ſolidas velle in nos vertere vires,
Et veluti Circo cùm quondam incluſa Quirino
Torua leæna truci poſita eſt contraria tauro,
Hæc fuluo innatum depromit pectore robur,
Nec populum in ſe verſum, intentúmque ora tenentem
Spectaclis curans, in ſolum dirigit hoſtem
Clarum ignem, rutiláſque vomentia fulmina flammas:
Non ſecus Hiſpanus nobis quoq; triſte minatur
Exitium, ſolos Belgas, ceu cætera nuſquam
Bella forent, velut ad præſentia funera poſcens:
Et tanquam aut fidum Regina Britanna negaret
Subſidium, aut illum paret cui Gallia Regem,
Regem conſilio pariter ſapiente, vel armis
Inſignem, illati caperent obliuia belli,
Quicquid & à nobis tãto iam tempore gratum,

Aut

Aut etiam à diris inimicum eſt paſſus Jberis,
Lethais damnâſſet aquis & nocte profundâ
Juſsiſſet, denſiſq; abſcondi cuncta tenebris,
Jmprudens dubio decantat Marte triumfum.
Perpeſsis grauiora dabit Deus hic quoque certum
Auxilium: Macte ô variis exercita fatis
Pectora, vos etiam decumanos vincere fluctus
Jn primo iuſti potuiſtis turbine belli;
Vos etiam Hiſpanam rabiem, Regiſq; ſuperbum
Jmperium ſuperare, & per tot tela, tot ignes;
Magnanimas animas rebus ſeruare ſecundis:
Durate, & fidas Nymphæ ſperate Britannæ
Suppetias, & eis maiores æthere ab alto
Promiſſas: neq. vana fides, nam Numinis almi
Auſpiciis, ductúque ſacro BONA CAVSA TRIVMFAT.
Nos nunquam, hærentes vel diri in faucibus Orci,
Aut prope Tartarei errantes confinia lethi
Deſeret, at dia laudis ſibi deliget vſque
Materiam, vt maior toto cantetur in orbe.
Cùm ſpes vna foret nullam ſperare ſalutem

Sumere nos animos, quô que appareret, & eſſet
Peiori res noſtra loco, tutamine nixos
Diuinæ minus hoc docuit diffidere dextræ:
Heſperio cùm colla iugo ſuppreſſa iaceret
Belgica, & Albani furias pateretur inulta,
Iamq́; eſſent proceres fuſi, inq́; ignobile vulgus
Cædibus infandis paſſim ſæuiret Iberus,
Ductoresq́; ipſi populi iam colla dediſſent
Carnifici iugulanda manu, capitumq́; carentes
Nequicquam ciues vindictam, atque arma parent,
Ecce ſuperuenit ſubitò per cærula vectus
Æquora, depreſſos fato miſerante Batauos,
Exter homo, niſi quòd materno ſtēmate priſcam
Attingat gentem, & Creſcētia ſtemmata iactet,
Hic primus magni iecit fundamina belli:
Hic cepit Brilam, cui ſe iunxêre ſecutæ
Enchuſiam Alcmariæ, & cum Medenblicibus Hornæ,
Quæque ſub Auſtralem diuerſa plagam oppida circum
Multa iacent: Facula hæc alluxit prima Batauis.
Rurſum quæ rerum facies, ſpes quæ've relicta,
Cùm

Cùm Leidam obſidio premeret Baldæus, & unà
Cogeret innumeras peditúmque equitúmque
   catervas,
Aſt intus miſeram peſtis conſumeret urbem,
Et peſti coniuncta fames, ipſa altera peſtis,
Atque foris rigidi certamina triſtia Martis?
Quis cladem obſidij illius, quis funera fando
Explicet, aut poſſit dictis æquare labores?
Scilicet ut paucis comprendam plurima verbis,
Nîl tunc Leidæ fuit, niſi lamentabile buſtum,
Atq. urbis latæ miſerandum, & triſte cadauer.
An vobis animus miſeri dum talia Belgæ
Cernitis ullus erat? Sed enim Deus ipſe Deorum
Infelicem urbem cælo reſpexit ab alto,
Inflatóque hoſti faſtu, atque extrema minanti
Vltrices immiſit aquas, quibus ille coactus
Vertere terga fugæ, & pedibus ſibi quærere vitã.
   Quo res noſtra loco, cùm cernere partibus eſſet
Addicta Hiſpanis magnum, maiuſq; futurum
Mattiaco nomen Circeïa mœnia ponto?
Tunc adeò (non hæc nobis ſine munere diuo
Eueniunt) turbis, & ſeditione furentes
Heſperias acies, cæcaſq; cupidine nummi

 Polliciti

Polliciti, tacitis ſtimulis incendit Erinnys,
Pectoribuſq́; imis ſuccenſos ſubdidit ignes,
Fatales ignes, qui (Numine cuncta regente)
Hiſpanam noſtra gentem regione fugarunt.
Accipe nunc aliud ſignum, clarumq́; fauoris
Jndicium ætherei, cuiuſq́; infixa recenter
Voluitur ob memores animos, & oberrat imago:
Poſtquam auro venalem animam regnator Jberus
Infando miſit ſceleri, diraſq́; per artes
Suſtulit inſigni quod poſt tot funera cladi
Cernebat ſupereſſe caput, patriæq́; parentis
Fuſo indignantes maduerunt ſanguine terræ,
Ductorémque ſibi plebs, in ductore ſalutem
Amiſſam gemeret, TANDEM FIT SVRCVLVS ARBOR
Auriacus, lætos tollens ad ſidera ramos:
Quorum frondoſâ tuti latuêre ſub vmbrâ;
Nec latuêre tamen Belgæ, ſed prælia iunctâ
Conſeruêre manu, mactatas fortiter vlti
Jnſontes animas, ipſumq́; ante omnia cæſum
Auriacum, variaſq́; vrbes, atque oppida Jbero
Eripuêre iugo. PRO LIBERTATE *tuendâ,*

Pro defendendis tenerâ cum coniuge natis,
Ite alacres in bellum animi, vos inſita virtus
Quò rapit, & patriis arcete à finibus hoſtem.
Audere vnanimes in prælia cernat Iberus,
Noſtráque quid valeant, quídque arma Viraginis Angla,
Siue ſolo herboſo, ſeu vaſti in gurgite ponti,
Sentiat, & multi argentiq́, auriq́ feraces
Occidui cæli ſpoliatus perdere venas
Sueſcat, & alterius vires ſperare metalli.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE